





DEFENSIO MEDICORVM principis Auicennæ, ad Germaniæ Medicos,

Laurentio Frisio authore,

Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.

M. D. XXX.

IOANNI FVCHS iuniori, Argentorat. Philosopho atq; Medico perspicacissimo, Laurentius Frisius, S. D.

Diuina decalogi lex, Exodi. 20. cap. parẽtes iubet uenerari: quod ego considerans doctiss. Ioannes, non solum de his, qui seminaria ui corpora nostra propagarunt, uerumetiam de illis qui animi moribus, disciplinis atq; doctrinis informarunt, intelligẽdum censeo. Quapropter, cum animaduertissem quot probra, quot execranda effutiantur in Auicennam parentem conuitia, diutius ferre non potui: cum non minus mihi in arte medica profuerit, q̃ Hippo. Galenusq;. Quibus autem armis, patri illatas uindicarem iniurias, serio se mecum cogitaui: tandem uero post uarias animi inquietudines in mentem uenit, ut Apologiam aduersus fastidiosos hos scriberẽ medicellos, qui tam arroganti supercilio obducti, in bonos authores friuola uoce oblatrare non uerentur: donec mihi bracteato armatoq;, pręcinentibus tubis, liceret litterariam inire palestram: ad quam me iam paratũ offero, si qui sunt, quibus pugnandi affectus incumbit. Eo igitur clariss. Ioannes, ut hæc quæ mihi tecũ felicibus auspicijs exorta est amicitia, testatior fiat, defensionẽ illam tuo nomini dedicaui: ut parentis tui, uiri in re medica consummatissimi, prudentia fulcitus, tua quoq; industria, qua inter cęteros Germaniæ Medicos polles, censor esses atq; castigator eorum, quę in hac defensiuncula nostra disseruimus: tandem uero cum digna tibi uiderentur, tutor atq; defensor, ut incontaminata facie in lucẽ prodirent.

Vale ex Diuoduro, die qua candidus Titan. xx. Leonis partem permeauit, Anno post natum Seruatorẽ, sesqui millesimo tricesimo.

ADVERSVS RECENTIORES QUOSDÃ MEDICOS, AUICENNÆ CALUMNIATORES, LAURENTIJ FRISIJ DEFENSIO.

QVamuis humana ingenia, summam nostris temporibus doctrinarum conscenderint aciem, tantoq; intellectus acumine sint prædita, ut in nouarum rerum inuẽtione, ac antiquarum interpretatione, prorsus consummata uideantur, puericq; senes uarijs literarum disciplinis, linguarum peritia, eloquentia, tum dicendo, tum scribendo lõge præcellant, tantaque prudentia sint præditi, ut quemadmodum olim Mercurius, ita & teneros, nostri seculi, iuuenes, a Nymphis nutritos, haud inepte prædicare quis posset. At quia sub lunari globo, nihil ab omni parte beatũ, nihil tam cãdidum, quod rubiginis macula nou sit conspersum, id unicum iuuentuti incumbere conspicimus, maiorem uidelicet curam uocum, q̃ rerum per uoces designatarum: cum nimia linguarum dulcedine illecta, nil sanctum, nil uirtuosum, nihilque doctum existimet, quod non a græcis, latinisue fucato elogio proditũ est. Nolumus linguarum, Hebraicæ, Grecæ, atque Latinæ nobilitatem flocci pendere, immo cum potissima ad musarũ thalamos sint uia, commendare: neque ornatis sermonibus barbariem præferre intendimus. Bifarium autem elegantiæ genus magna cum laude enarrabimus.

Primum atq; potissimum, magisq; necessarium, ele-
gantia ingenij est. Id rerum caussas, rationes, atq; pro
prietates scrutatur, abditas quoq; superioris & inferi
oris naturæ uires circumquaq; percurrit: quę cũ abstru
sæ sint atq; inuentu difficiles, uix tantum ocij cõsequi
potest, ut alteram sibi possit coniungere elegantiam.
Huic secundum genus succedit, quod sola sermonis
fruitur suauitate, certisq; institutis uoces ita cõnectit,
ut dulcis ex eo uerborum oriatur concentus, qui au-
dientium animos nõ modo demulceat, uerumetiam
captet, atque quocunq; uelit, dextram, sinistramue fa
cile uertat: quemadmodum Thracius Orpheus feras
cantu reflexit atq; domauit. Primum genus, naturæ
interpretibus, Medicisq; necessarium. Secundum ue
ro Oratoribus, Poëtis et causidicis. Quod autem ma
gis expetendum, Cicero philosophus atq; elegantia-
rum princeps, in primo libro ueteris Rhetoricæ, do-
cet, cum inquit. Si quis omissis rectissimis atq; hone
stissimis rationis & officij studijs, consumit omnem
operam in exercitatione dicẽdi, is inutilis sibi, & per-
niciosus patrię ciuis colitur. At ne uideamur arma ad
uersus oratores atq; humanitatis studij cultores accin
xisse, uela ad destinatum portum uertamus, pugnatu
ri pro laude Medicorum principis Auicennæ, quem
iuniores coëtanei nostri medicelli, ob stili humilita-
tem calumniari, atq; ceu prophanum idolum, contu-
melijs affici non erubescant: ac si uerborum ornatus,
corpora male affectata, sanitati restitueret: quod tamẽ

ornatissimus renuit Celsus, cum dicit. Morbi non eloquentia, sed remediis sanantur. Vidimus nuper Lugdunen. simij inuectionem in arabes medicos, Auicennam praesertim, quem libello, symphonia Galeni ad Hippoc. inscripto, stolidis conuitijs dilaniauit: oblitus quãta laude ipsum extulerit, in libro quem antea de claris Medicinae scriptoribus, edidit: at uerba eius herent sic, ut arena sine calce in pariete, certatque cum luscinia pica. Prosilierunt etiam medicinales epistolę, Auicennam liuida manu caedentes: sed quantum nouae eruditionis adportarint, facile ex cõsilijs earundem contuendum est: cum nihil praestent quod Auicenna non sublimius tradiderit: quas si Montagnanę epistolijs, siue consilijs (qui Auicennae fuit imitator) contulerimus, profecto simia cernitur in purpura: uerum quidem scrupos nobis obijciunt, quorum tamẽ paucos enodant. Cęterum iamdudum in lucem prodierunt duo libelli, doctissimum Auicennam mordicantes, unus de serpẽtibus, alter errores Medicorum, inscripti: quos fructus produxerint, pio lectori diiudicandum relinquimus: utinam author ille graece & latine doctissimus, omnes medicorum errores extirpasset. Felix illa mater quae talẽ nobis peperisset filiũ. Sed heus heus indies atque indies errores accrescũt, et pestilẽtior in re medica barbaries suboritur, quam Auicenna, Auerrois, Hali, Razes, Auenzoar, Alsaharauius, ac alij barbari nobis genuerint. Conspicimus interire doctrinalem medicinã, & ab orco reuocari nu-

gamenta pernecantia. Auicenna damnatur, & Apuleij mendacia adprobantur. Vtinam millesima pars uera esset, quæ per iuniores modo in lucem exijt. Experimentum rationi præferunt, quod contra Galenum est septimo Terapentices. Esto tamen quædam uera sint, quod periculosa tamen atque difficilia, Galenus Experimentorum primo docet, cum inquit. Et nos non laudamus hominem ignorantem artem, & habeat experimenta, quoniam uellet prodesse, & fortassis noceret. nam oportet hominem scire complexiones, causas & accidentia: quæ si ignorat, non est securus, quin plus obsit quam prosit: & si proderit, ex fortuna eueniet. De exitiali atque truculento abusu, qui iam feré omnibus Germaniæ Medicis peculiaris existit, sileo: cum incognitis ægroto, complexione, compositione, ętate, regimine atque alijs id genus, ex solius lotij inspectione, omnem ægritudinem & iudicare & curare contendunt, populumque suis uersutis captiunculis (quas cautelas uocant) non solum quæstus caussa decipiunt, uerum quidem miserrime interficiunt: ut clarissime Deo optimo annuente, singulari libello propalabimus. Hanc nephandam atque immanissimam barbariem Auicenna nō docuit, sed detestatus est, primo canone, Fen secunda, Summa secunda. doct. tertia, cum ait. Viæ significationis dispositionum urinæ non oportet credere, nisi conditionibus obseruatis. Recordor qd mihi acciderit, mensibus paucis elapsis, cum de cuiusdam ægritudinis cu

ra, differerem cum inflato quodam Auicennæ æmulo: qui cum ob nimiam arrogantiam, aut pertinacitatem nostris autẽticis noluit assentiri persuasionibus, inquit. Nihil mihi cum tuo Auicenna. ac si Thessalum, aut parabolanum Medicum allegassem: at Auicennæ opera tandem patiens conualuit, qui antea multis diebus frustra absumptis, neque Plinianis, neque Cornelianis experimẽtis conualere potuit. Operam igitur impendisse non pœnitet Auicennæ. nam ex eo magnorum hominum gratiam consequutus sum. Non possumus illorum hominum importunitatem satis admirari, qui non solum egregium illum authorem iurgijs afficiunt, immo etiam ipsius sequaces, uiros & doctrina & fama celeberrimos, Gentilem, Iacobum de partibus, Nicolum Florentinum, Hugonem Senensem, Iacobum de Forliuio, Sauanarolam, Guainerium, Gordonium, atque complures. Nouimus nostri etiam temporis multos præclarissimos uiros, colentes Auicennam tanquam pium medicinæ authorem, IOANNEM FVCHS seniorem ARGENTORATEN. uirum doctrina & ætate probatum, Vuendalinum Coronobachium pie memoriæ defunctum, cui tum ingenio & doctrina, tum etiam moribus, pauci in Germania Medici æquipollent: Ioannem Vuidmann, Ioannem Vuonneck, Ioannem Adelphum, Henricũ zittart Colonieñ. Ioannem Nidepontanum, & alios, quorum nomina bouina uix caperet membrana.

Sed de his sat est, nos ad Auicennę zoylos redeamus,
obtestantes illos, ut boni authoris inscitiam nobis in-
sinuent. Qui si linguæ arabicæ uilitatem nobis obij-
cient, eo ꝙ cum grecæ nitore discõueniat: facile respõ
debimus, linguam, quãtumcunq; rudem impedimen
to nõ esse, dũmodo res ipsa syncere sit tradita. Testis
est Galenus tertio paruæ artis, & .ij. part. apho. co.
xxij. & prędictionum tertio, co. xv. cum ait, In nomi
nibus siue uocibus tempus conterere inutile est, neq;
Medicorum, sed Sophistarum. Et rursus libro .1. de
diebus criticis capite quarto. Asini ad lyram in re me
dica sunt Grammatici, Dialectici, & Rhetorici. Dici-
mus quoq;, Gręcos paucula tradidisse, quæ nõ ab In
dis, Aegyptijs atq; Arabibus mendicarint: quod anti
qui scriptores attestantur de Orpheo, Homero, Mu-
sęo, Melampode, Dedalo, Licurgo, Solone, Platone,
Pythagora, Salmoxe, Eudoxo, Democrito, Empedo
cle, & Mose hebræo. Porphirius etiam longam scri-
psit epistolam Aneboni sacerdoti ægyptio, plenã gra
uibus quęstionibus, ad omnes philosophię partes spe
ctantibus: cui Iamblicus respondit. Sed illa sufficiant:
cum his qui pauca legerunt abunde constent. Sin ue
ro Auicennam uersum in latinum a Gerardo Cremo
nensi, refutare prętendunt: rursus facile respondebi-
mus: hac uidelicet barbara traductione, plures male
habitos, sanitati restitutos, q̃ ornatissimis & Plinij &
Apuleij experimentis, eo ꝙ Auicenna, breui uerbo

rum

rum compẽdio, omnia quæ ad theoricam: & praxim spectant copiose tradiderit. Per immortalem, ęgrotantibus nulla iucundior est elegantia q̃ sanitas. Optime igitur proposito nostro quadrat sententia Lactantij Firmiani libro tertio, capite primo, ita scribentis. Simplex & nuda ueritas per se satis ornata est. ideoq; ornamentis extrinsecis fucata corrumpitur: mendacium uero, specie placet aliena. quia per se corruptum defluit atq; uanescit, nisi aliunde ornatu quæsito circumlitum fuerit atq; politum. Sed quid opus est prolixa redargutione aduersus hos locutuleios & blatterones, quos Galenus prædictionum iij, co. xv. locutionis medicos appellat? Nonne res ipsa palam est, q̃ a theologo animę salus, a iuris perito iusticia, a Grãmatico congruitas, ab Oratore elegantia, a Musico cantus, a Medico uero sanitas expetenda est? Etsi quispiam etiam perperam, siue inepte docuerit, nihilominus humani atque prudentis uiri est, reddere grates: ut Aristoteles Metaphisices. ij. capite pri. adhortatur, cum inquit, Non solum autem hisce quorum opiniones quispiam acceptabit, atque utetur, sed etiam hisce qui ueritatem non penitus attigerunt, gratias habere oportet. & hij namque aliquid contulerũt. habitum enim nostrum excitarunt atque acuerũt. Monstrent igitur quæso boni græculi, ubinam Auicennna, in quinque suis canonibus canticisque, a uera ac doctrinali medicina deuiauerit, aut ubi in prolixis atque intricatis Hippoc. & Galeni commentarijs quicquam

b

inuenerint, quod Auicēna non breuissima serie contulerit. Salua tamen pace medicinæ monarcharum Hippocra. & Galen. quos diuina tanquam numina omnibus medicinæ scriptoribus præferimus, ueneramur, atque extollimus. Sed cum nihil nobis obijcient boni illi Medicelli, suspicamur eos nō modo Auicennæ, uerum etiam Galeni libros, eo quo ipse instituit ordine, nūquam perlegisse, sine quo author opulentissimus intelligi non uult, ut in plerisq; locis attestatur, presertim in fine Artis paruæ, ubi modum legendi libros suos describit. Esto, q novas quasdam gustauerint traductiones, tersiori q antea latinitati donatas, Gazæ. Leoniceni, Laurentiani, Linacri, Copi, Calui, Brētij, & aliorum, utpote Aphorismos, Prædictiones, Artem paruam, De curandis morbis, De febrium differentijs, De affectis locis, De sanitate tuenda, Commentarios in Apho. faxint tamen quæso, ut lectionis utilitatem precipiant, si nō alios etiam Galeni libros prelegerint. Dicant boni uiri, quomodo librum de curandis morbis intelligant, si librū de simplici medicina nō legerunt: impossibilitatem narrat Galenus Terrapentices quarto, capite tertio. Qua lege etiam intelligent librum de simplici medicina, si tertium de complexionibus non antea obseruarunt: Sed hos omnes non tenent libros, ea qua ipsi gaudēt latinitati donatos, antiquas quoq; uersiones. Cōstantini, Affricani, Nicolai de Calabria, Humaijn filij Isa ac legendas non existimant, sed tanquam obscœnas

reijciunt fabulas. At ipſi reſpondebūt, in græco hos legimus libros. Ha ha, facile credimus, in lacerato pa-
riete. Nam pauci ſunt qui græce linguæ uires intelli-
gant: multi uero, qui poſtquā ιωτα depingere norunt, eſurientes græculos ſeſe iactare nō uerētur. Profecto, ut Galenus de cōmoditatibus Teriacę ait capite .iiij. pauper eſt, qui manus illorū medicorū incurrit. Quo fit, ut quotidie in morborum curis, non ſine ęgrotan-
tium periculo, ęcutiētibus oculis aberrēt: cum aqua inter cutem laborantes, tabidos etiam atque ptiſicos, Guaiacani potione curare præſumunt, & quod lon-
ge abſurdius, hydropicos unguēto quo empirici gal-
licam ſcabiem abſtergere ſolent, linire atq; interficere non erubeſcunt. Febrientes item lauacro abſq; ratio-
nis iudicio ſanitati reſtituere conantur, quorū multi hiſce annis uitam finiere. Quam clare igitur intelligi-
tis græcū ueſtrū Galenum, uos pulcherrimi iuuenes, in libro de curandis morbis, q̄ magna ueſtra elegan-
tia: cum ignoratis, q in febribus balneum non confe-
rat, niſi tres obſeruētur cōditiones. Prima, ut ſine hor-
rore ſit febris. Secūda, ut nulla pars principalis ſit im-
becillis. Tertia, q multitudo crudorum humorū non ſit ſecūdum primas uenas. Ecce uos candidiſſimi do-
mini, qui de claris fontibus bibitis, quomodo intelle-
xiſtis ueſtrum Galenū gręcum: Noſter Barbarus Ga-
lenus docuit nos, has febriū differentias animaduerte-
re, antequā febriētes balnearemus, facile eſſet, uobis loca oſtēdere. Vnicā adhuc oportet recēſere hiſtoriā,

Cum olim in ciuitate ARGENTORATEN. habitabam, ex Italia illuc diuertebat medicinæ Doctor, magni inter recentes græculos nominis, Hippocratem atque Galenum græce multis prælegerat: oculorum autem constitutionem eousque ignorabat, itaq; collirio condensatam oculi cataractam, se curaturum polliceretur: at tādem uisa à nobis manuali operatione, impossibilitatem cōfessus est, nam inter Corneam & Vueam in profundo oculi uidebat latere pelliculam, quæ nullo potuit apprehendi collirio. Noluimus autem diutius aculeatos obturbare crabrones, sed Auicennæ scripta breui Catalogo, Galeni doctrina approbare. Exordiamur igitur a medicinæ diffinitione, quę scd'm Hippocratem in libro de Ventis, est adiectio uel ablatio, secundum Galenum in parua arte, scientia sanorum, ægrorum, & neutrorum, Auicenna autem taliter diffinit. Medicina est scientia qua humani corporis noscuntur dispositiones, ex parte qua sanatur, & ab eo remouetur, ut habita sanitas conseruetur, amissa quoq; recuperetur. En igitur bone græcule, quis elegantius Medicinam describat. Confer hanc medicinæ diffinitionē ad librum Galeni de partibus artis medicatiuæ & ad illum qui de constitutione artis inscribitur, in quibus Galenus omnes differentias essentiales ueræ diffinitionis Medicinæ, secundum antiquorum propriamq; opinionem exponit, & uidebis (ni caliginosos habeas oculos) hac succincta uerborum compage, omnia adamussim inter-

pretata. Hinc animaduertens Auicenna, omnibus ordinem deberi, & quæ secundum ordinem fiunt (ut Aristo. de memoria) facilius recordãda, Medicinam diuidit in theoricam, & practicam. Per theoricam intimans principiorum doctrinam, per practicam uero operandi qualitatem. Cui etiam cõsonat Galenus in libro de partibus artis medicatiuæ, doct. secun. capit. secundo, cum ait. Partis artis sunt noticiæ quæ in anima nostra sunt, quas theoremata uocamus. Dehinc uero, Summa. ij. doctrinæ. ij. cap. iij. subdit, Oportet autem illa præcedere praxim. Scrutentur quæso pij medici Galenum libro allegato, & Auicennæ exordium, & abiecto rancore, syncera mente iudicent, quis compendiosius medicinam diuiserit. Quid prodest uerbosa dicacitate, artem longam, longiorem reddere? Certe Hippocrates nõ ob aliã caussam aphoristice scripsit, quam ut prolixitatem in longa atque immensa arte euitaret.

Qua autem serie hanc diuisionem exequatur AVICENNA, paupaucis ostendemus.

RES naturales primum aggreditur, elemẽta, complexiones, humores, membra, operationes, uirtutes & spiritus. Quam docte autem de elementis scripserit, facile contuendum, cum nucleum apud Hippocratem & GALENVM durissimo cortice occlusum, adaperuit. De complexionibus nihil est apud

prolixum Galenum, quod Auicenna paucis nō com prehendat. Diffinit complexionem, diuidit, subdiuidit, quid æquale, & quid inæquale, ad pondus & ad iusticiam dinumerat: complexionis ad complexionē comparationem declarat erga membra, regiones, climata, alia animantia: in numero quoq; cum Galeno sentit, quot cōplexiones sint nomine: tandē uero singillatim omnium membrorū humani corporis complexiones exponit, & quicquid huic adhæret negocio, utpote, ætates & reliqua, splendido ordine absoluit. Hinc humores, eorum ortum, modos, qualitates & utilitates explicat. De hinc membrorum omnium differentias, naturas & operationes, unà cum totius anatomiæ, siue sectionis doctrina, copiose atq; ueraciter præstat. Virtutes & operationes, ac reliqua illis annexa, primi canonis prima Fen, breui, tamē consummatissimo sermone concludit. Succedit Fen secunda, quæ res contra naturam, morbum, caussam & accidens interpretatur: genera ægritudinū humani corporis diuidit, diffinit, atque enumerat. Subinde etiā res medias, quas usitato nomine non naturales medici uocant: accedit, aëris, temporum anni qualitates, naturas, mutationes, impressiones, nocumenta & utilitates inquirit. Locorum habitabilium conditiones scrutatur. Motus & quietis, somni & uigiliæ actiones contemplatur. Sequitur deinde eorum quæ comedūtur & bibuntur ratio, Aquæ uirtus, quid retentio, quid euacuatio, balneum, fricatio, Solis usus. Caussæ

item calefacientium, infrigidantium, humectantium atque siccantium, cum reliquis adiunctis edocentur. Vnionis quoque solutionem declarat. Postea uero doloris caussae & genera, accidentium significationes, complexionum signa, tam in sanis quam in aegris, ulsuum genera, urinarum colores & contenta FEN secundam concludunt. Tertia caussas sanitatis, aegritudinis & necessitatis mortis declarat. Artem praebet tuendae sanitatis. Infantes docet lacte nutrire, & eorundem aegritudines curare. Hinc adolescentes instruit exercitij fructum, ac reliqua quae sanitatis concernit conseruatio. Neque senum obliuiscitur, & qua lege corpora parum lapsa, ne in morbos prolabantur, praeseruanda, uberiori quam hic locus comprehendere possit, doctrina, enarrat. Quarta Fen generaliter omnes absoluit medicationis modos. Venas incidere docet, alui excrementa pharmacis expellere, & alia id genus, quae uix apprehendet medicus etiam si maxima MEDICORVM euoluet uolumina.

SECVNDVS canon docet experimento atque ratione simplicium MEDICINARVM naturas & qualitates (breuiori, non tamen modo minori quam GALENVS) indagare: ordine de hinc alphabetico singularium MEDICINARVM qualitates, gradus, operationes atque proprietates commonstrans.

TERTIVS canon omnes ægritudines describit, quę in humano corpore cõtingere possunt: earũ caussas docet per signa, quid pręsens & futurum indicat, & tandem artificiosas curandi methodos adiungit.

QVARtus canon septem sibi uendicat Fen siue distinctiones. Prima Febrium differentias, caussas, & curas tam generales quàm particulares elargitur. Secunda de criticis diebus, deque prædictionibus tractat. Tertia de apostematibus, siue tumoribus præter naturam. Quarta manuales docet operationes circa uulnera, ulcera, & fracturas ossium. Quinta restaurat iuncturas dislocatas. Sexta uenena pellit, Septima corpus decorat.

QVINtus canon compositiones docet MEDICINARVM, & assueto nomine Antidotarium appellat. Demũ Cantica nihil aliud sunt quàm aphorismi, epilogusque eorum quæ de prędictis canonibus, tam in theorica quàm practica, recensuimus.

Hæc est AVICENNAE barbaries. Perlegimus non semel HIPPOCRATIS libros, Aphorismos, Prædictionum, Regiminis acutorum, De lege, De Elementis, De natura fœtus, De Aëre & Aqua: GALENI item cõmentarios in Hippocratẽ, eiusdẽ Microtegni, De accidẽti & morbo, De cõplexionib. De interioribus, De utilitate particularũ,

De malicia complexionis diuersæ, De sectis, De optima doctrinatione, De partibus artis medicatiuæ, De spermate, De uirtutibus naturalibus, De ingenio sanitatis, De simplici medicina, De alimentis, De tuenda sanitate, De febrium differentijs, De anatomijs diuersis, De uenæ incisione, & plures alios, quos breuitatis caussa nolumus recensere, elegantiorem tamen non apprehendimus medicinam, uerum quidem ingeniosas atq; acutissimas disputationes aduersus antiquorum erroneas opiniones apud Galenum comperimus. Quas Auicenna, cęterique Arabes fideli consilio persuasi, omiserunt. Cunctos igitur artis medicę studiosos adhortamur, ne sermonum fucis excæcati, bonos authores contumelijs afficiant: sin autem simplices eorum stilos legere fastidiant, linguas tamen a uituperatione coherceant. Audiant Senecam dicentem, Aurea fręna, meliores equos non faciunt. Iniuste patitur Auicenna, non ob aliam etiam caussam, q̃ Galenus prognosticationum ij. capite, infert, cum inquit. Medicus probus qui rẽ suam philosophice tractat, ab æmulis patitur. Sed de his sat est. Nos Auicennam una cum multis, tum uita tum etiam doctrina clarissimis uiris, tanquam medicinæ fulgidum sydus ueneramur, ad eiusque frequentẽ lectionem, cunctos Pæoniæ artis amatores, inuitamus: Zoylorum ictus, minus mollissima purpura formidantes, cum authore Galeno de crisi. secun. capite octauo, liber

nullus, quantumcunque etiam doctus uituperatio=
nem euadere possit. Viuat Auicenna, ui=
uantque eius imitatores, in eo qui
cunctos sanat languores.

ARGENTORATI
apud Ioannem Knoblouchum
iuniorem. xxiiij. Augusti
Anno Christi
M. D. XXX.

